ITER MOGUNTINUM ILLUSTRISSIMI, AC REUERENDISSIMI PETRI ALOYSII CARAFÆ, EPISCOPI...

Silvestro Pietrasanta



ITER MOGVNTINVM

ILLVSTRISSIMI, AC REVERENDISSIMI

PETRI ALOYSII CARAFÆ,

Episcopi Tricaricensis, & Legati Apostolici,

AD NVPERAM ELECTIONEM

ILLVSTRISSIMI, AC REVERENDISSIMI

ANSELMI CASIMIRI WAMBOLT,

Archiepiscopi Moguntinæ, & S. R. I. Electoris.

CÆLIVS SERVILIVS

ILLVSTRISSIMO, ET EXCELL.MO DOMINO

TIBERIO CARAFÆ,

PRINCIPI BISINIANI, AC SCYLLAE,

HISPANIÆ MAGNATI,

EQVITI VELLERIS AVREI

DEDICAT.



LEODII, Typis Ioannis Ouwerx, M. DC. XXIX.

SVPERIORVM PERMISSV.

ILLVSTRISSIMO, ET EXCELLENTISSIMO DOMINO
TIBERIO CARAFÆ,
PRINCIPI BISINIANI, AC SYLLAE, HISPANIÆ MAGNATI, EQVITI VELLERIS AVREI
S. ET F.

Talia, quæ iam à sexennio non repetit Illustrissimũ, ac Reuerendissimum PETRVM ALOYSIVM CARAFAM, *Episcopum Tricaricensem, Apostolicæ Sedis Nuncium, & Fratrem Excellentiæ Vestræ: petit nihilominus vestigia itinerum eius; idq; eò agit lubentius: quia hac itinera in stadiis solummodo, & non in paginis fatigant. Ego, quem ad similia calanda deberet satis instruere conditio Nominis mei; quia tamen seruitutem etiam in Cognomento gero; experior imperiis*

adigi me, ad ea publicè typis manifestanda. Cū id itaque præstem, in hoc Itinere Moguntino: cuius nam ei patrocinia æquius implorem, quàm Excellētiæ Vestræ? quæ à Fratre Illustrissimo, ita Rheno & Mosa, dirimitur; vt oculis quidem vultus absentis; sed non perinde charitas, animo eius, vnquam exciderit. Hæc vna amoris constantia, & gemelli mores inuitant me: qui mores in vtroque Vestrum, indolem & titulos Principis, pulcherrimè consecrarunt. Pergitis enim, Alter in isto Neapolitano Regno Patronus esse publicæ Ciuium faustitatis; Alter verò in his Prouinciis Germaniæ Assertor, ac Tutelaris esse Religionis Catholicæ: atque Ambo, ita generatim vniuersé, benefaciendo, multo feliciùs, quam Fratres illi, duo sidera simul, & non alterna luce, radiatis. Omiserim consultò numerosam gloriam Excellentiæ Vestræ: quia deberem inire certamen speciosum, cum modestia eius; & ipsam laudare parciùs. E contra, si id liberaliùs, & iuxta promerita egerim: quia necessariò eximia & summa dicerem; aliqui-

bus,

bus, qui Excellentiæ Vestræ magnitudinem ignorant, videretur fortasse suggredi, loco veræ laudis, adulatio. Quocirca consultius egero, si tacuerim; silentio tamen ipsam, securè ac sanctè, Laudaturus. Torques ille Aurei Velleris (cuius Ordinem Excellentiæ Vestræ Heroicum pectus maiorem gerendo facit, tametsi eum gerant Maximi) exprimeret satis laudes istas: si quot annulis innectitur, ora totidem aurea, ad ipsius gloriam commemorandam, referaret. Alioquin mores aurei recusant meritò ferrei sæculi laudatorem. Silens itaque hoc Iter, & obsequia mea Excellentiæ Vestræ dedico; eiq; precor tempora, & gaudia felicium. Leodij Chalendis Nouembribus M. DC. XXIX.

Excellentiæ Vestræ

Famulus obsequentissimus
CÆLIUS SERVILIUS.

A 3 ITER

ITER MOGVNTINVM.

Triennium in Principatu non omninò exegerat Illustrissimus ac Reuerendissimus GEORGIVS FREDERICVS, Archiepiscopus, & Princeps Elector Moguntinus: cùm Pridie Nonas Iulij, Anni Millesimi, Sexcentesimi Vigesimi noni, Moguntiæ obijt diem postremum administrationis, & vitæ. Quam vtramque, sicuti summâ innocentiâ rexerat, ita summâ sui securitate, & simul omnium Ordinum mœstitiâ, morturus clausit. Intelligebat enim ipse, nihil sibi è Cælo metuendum; à quo in terris nunquam boni metuerant. Alij verò, Optimum Principem, amitti faciliùs, quàm inueniri, secum animis mœstissimis reputabant. Itaque dum funebres honores, & exequiæ pro eo Moguntinæ ritè exsoluuntur; & dum breue regimen eius, ac longum desiderium vniuersi complorant; Comitia indicuntur pro Successoris delectu, futura, VIII. Idus Augusti. Interim de obitu primùm, ac paulò post de Comitiorum die certior factus Leodij Illustrissimus, ac Reuerendissimus PETRVS ALOYSIVS CARAFA, Episcopus Tricaricensis,

censis, ac Sedis Apostolicæ Legatus, statuit eò profectionem adornare: vt nobilissimæ Ecclesiæ Moguntinæ, seu viduitatem, seu nouos thalamos, leniret atque adiuuaret, ipsius ac Sanctæ Sedis, partim solatia, partim subsidia, & vt electioni Archipræsulis Magni, honor etiam Legationis Pontificiæ adiungeretur Litteras ideò destinat Decano, & Collegio Canonicorum Ecclesiæ Primariæ Moguntinæ, tum vt ex iactura nupera ipsorum Archiepiscopi & Principis, dolore apud ipsos, interpres Epistola fungeretur; tum vt conscios profectionis redderet; quam initurus erat propediem. Indicauit verò, per Arduennæ saltus, & per oras Palatinatûs, ad Rheni littora peruenturum se, III. Chal. Augusti, & distinctè se, pro eius diei vespera, Binghio promisit. Etenim inde, & equos Leodium erat postridie remissurus; & ascensurus naui, aduerso amne, Moguntiam. Vt principium itineris huic deliberationi congrueret, discessit Leodio, VII. Chalendas Augusti, & præter Asseclas ordinarios familiæ, adduxit ad gratum viæ leuamen, & consiliorum etiam in partem, Nobilem Virum Ernestum de Miche, Canonicum S. Pauli Leodij, R. P. Ægidium Buchetum, Rectorem ibidem Collegij Societ. IESV, atq; eum, qui est ipsi à sacris Confessionibus. Honoris ergò, comitati sunt abeuntem Reuerendissimus, ac Prænobilis Dominus Arnoldus à Wachtendonck, Magnus Decanus Ecclesiæ Cathedralis, & Dominus Franciscus Oranus, eiusdem Ecclesiæ Canonicus, atque

que Abbas Visetensis. Sed ijs, conscenso equo, valedixit Legatus, in egressu Ciuitatis: vbi repentè globus militum collectus, explosione lætâ intonuit profectioni eius, & nescio, an hostes & prędones omnes, pro itu & reditu, ita fulgurando, & perstrependo terruerit. Certè obuios nullos itinere toto, etsi latrocinia passim alij, & pericula certa proponerent, Legatus habuit. Imò qui neminem timuit, sæpe aliquos terruit: visa enim ex longinquo turma familiæ ipsius, opinionem equitatûs militaris, & pauorem iniecit aliquoties; vt non defuerint, qui cederent de via, rustici verò sępe equos, ac pecus ex agris abegerint ad pagos; quæsierintque modici, & straminei latis, qualem poterant, securitatem. Non procul eramus à Spadanis Fontibus, in quibus, propter huius anni æstatem serenam, limpidiores aquæ inuitabant plurimos; vt ad scaturigines illas liquoris medican conferrent se; ac viscera perfusi, haustûs quadam perennitate, biberent salutem. Hîc in Amici Suburbano quietem equis, non diuturnam, sed aliquam, daturus horis meridianis Legatus, coactus est à D. Ioanne Resimon, Canonico Leodiensi, qui ipsum eò inuitauerat, liberalis hospitij conditionem omnem, experiri. Mensæ siquidem accumbere oportuit, tametsi Leodij ante abitum refecti iusto prandio fuerâmus; quod solummodò, propter horam diei necdum satis adulti, libuerat vocabulo Ientaculi honestare. Sedenim occasio frequens, ex quo incolæ sumus oræ septentrionanæ,

erudijt nos,ac docuit, in horario prandio sæpè, nihilo plus aut minùs agere, quàm tentare. Prandia sæpè auspicatur mendies, atque excipit nox; ita vt nihilominus cœna redeat, & mensa post interuallum breue iteretur. Id obiter memorare consultò libuit; ne,quæ stomachus hîc aeris ingenio, & bonitate degerit, ea concoquere aures delicatæ aliquorum in Italia recusent. Vt interim pergat iter, omnes iam redieramus ad equos, momento abitum; quando intercurrere famuli cum cyathis,& vini lagenulis ab Hero iussi sunt; atque infundere vnicuique, vt in vices antea nobis propinaremus. Ne verò id abnueret nostrûm aliqui modestiùs, persuasio illa effecit, quòd dicerentur equi multò alacriores, atque hilariores progredi; si essent equites ipsimet alacres, ipsimet hilares. Sed paulò post aquæ vis ingens vinum temperauit; expediti enim ab Amici officijs, non ad horæ vnius interuallum processeramus; cùm imber nos vehemens aspersit, in planitie aperta. Mox tamen vndique conserenauit, & mitigato æstu peruenimus vesperi Stabulerum. Locus est, qui Monasterio celebri Ordinis S. Benedicti subest; & cuius Proabbas est in præsentia, Serenissimus Elector Coloniensis, communibus suffragijs Religiosorum, ad Cœnobij administrationem vocatus, vt dum infesta bellis omnia nutant, ac trepidant; regat ipsorum bona tanti Nominis fama, & authoritas. Cæterùm Abbas Religiosi huius Sodalitij, est Sacri Romani Imperij Princeps; & sessionis
honorem

honorem, ac suffragium in eiusdem Comitijs habet. Situs Monasterij est iuxta riuum, & prata; in valle satis amœna, Sylvæ Arduennæ, quæ iam patefacta Cœlo, Sole ibi, & libero aëre exhilaratur. Templi structura, nescias, magnificentior sit, an pulchrior. Adeò placet idea molis vniuersæ; vt descriptionem eius accuratam, interdum viri Principes, secum inde referant. Cœnobiarcha Legatum excepit significatione summâ obsequij, & comitatis, & tractauit cœnâ opiparâ: postquam, fatigatos nos ex itinere, obito per accliues vias, & decliues, somnus facilis occupauit. Postridie sub Auroram, peractâ Re Diuinâ in Templo, & salutatis Diuis Tutelaribus; Sancto Remaclo nimirùm, Leodiensi olim Antistite, ac Fundatore Monasterij, & Sancto Poppone Abbate, Stabuleto, Prumiam versus, iter suscepimus. Substitimus tamen sub meridiem in Oppido S. Viti; quod est Principis Aurasij, sed à Rege Hispaniæ tamen interea possidetur: ibique in meritoria domo hæsimus; donec res cibaria in promptu esset, & equi lassitudinem sedarent. Redintegrato post itinere, recreauit nos repentè, excussus è cubili Lepusculus; qui pauefactus equorum strepitu, inter eos temerè, in via regia, procurrit, & Canis Leporarius, qui nos fortè sequebatur, hianti ore eum ter arripuit, ter dimisit; reprehensus nimirùm clamoribus nostris, qui viuo eo potiri maluissemus. Fermè nox erat, quando Prumiam peruenimus: & Præses Monasterij, Ordinis Sancti Benedi-

cti, obuius in vestibulo Ædium Legato fuit, deduxitque ad præparatum hospitium. Archiepiscopus, atque Elector Treuirorum est huius Cœnobij Administrator perpetuus. Quod Monasterium, olim celebre admodum, inter alia Syluæ Arduennæ religiosa domicilia, fuit. Fundator eius Carolus Magnus Ædem ibi sacram Christo Seruatori dedicauit, & in ea sunt hodieque summæ venerationi Sandalia Domini: ne verò thesauro tam sacro desit fides; adhuc Summorum Pontificum, Caroli, & aliorum Cæsarum extant monumenta, quæ id fide locupletissima testantur. Visuntur eadem facilè, & sunt ex albo corio; sed diffusa & explicata, cum additis opere phrygio flosculis, & ornamentis; quemadmodum illorum temporum suasit pietas. Optabilius tamen fuisset, in eis formam ipsam retineri: in quam adeò sæpè induerant se speciosi pedes Dei; dum interetat rebus humanis, & dum terris ore cælesti enunciabat Euangelium Pacis. Exosculati has eius soleas venerabundi sumus; illud expetentes vnicè, vt pectori & cordi liceret apprimere etiam, vestigium aliquod charitatis eius. Circumstant præterea Reliquiæ insignes ferè Apostolorum omnium, ac præcipuorum Sanctorum, & cumulant loci sanctitatem. Miracula item frequentia hic obtigisse, sæculis anteactis, certum, atque exploratum est; sed præ cunctis celebre vnum notatur adhuc, sagitta ferrea semipalmari. Guisiæ, vrbe Galliæ, meditabatur Ciuis quidam honestus, Deo consecrare

crare patrimonium suum; sed anxius, cui Religiosæ familiæ, aut domicilio illud potiùs donaret; instinctu nescio quo pio, in agrum concessit; & curuato arcu, post fusas Deo preces, sagittam iaculatus est; in cuius hastula, Religiosos, inter quos sagitta caderet, Dominos scripserat, & heredes patrimonij sui: venitent proinde, & Gusiæ illud ab se iure petetent. Cœlum ictu illo fuisse tactum, miraculo Deus manifestauit. Nam cecidit sagitta supra Prumiæ Aram, dum in ea Religiosi, titu solemni operabantur. Hastulam ita inscriptam ijdem attoniti legerunt; & ex loco dissito, leucis ampliùs quadraginta, hereditatem petiuere. Quam hodieque, à ducentis & pluribus annis, obtinent, non fortuitò Domini, sed ex tel ad. monitu, quo vtique, vis humanâ maior, in scopum, quem Deus destinauetat, collineauit. Illustrauit etiam hoc Cœnobium Lothanus Imperator, nepos Caroli Magni: is enim, vt animo imperaret suo, abdicauit se Principatu, & Monasticen professus in Prumiæ Sodalitio, grande posteris exemplum fuit; sceptro, diademati, ac trabeæ suæ superstes, & in tonsurâ, ac tunicâ dicto obsequens, ex Cæsare Monachus. Iacet in medio Odæo, intrà vtnam simplicem, ex nigro lapide, tumulatus: nec sepulchro hærent iniuriosa morti vlla, quæ immortalitatem affectent, stemmata, vel nominis monumenta. Vesperi, postquàm huc aduenimus, prælautè habiti, à Præside Cœnobij; tenebris prohibiti sumus de alijs, quàm de cibo, &

ſomno cogitare. Manè vt inſpectioni piæ horum omnium diutiùs immoraremur, fecit etiam, matutinis horis, pertinax pluuia, ex qua ſerò admodùm nobis integrum fuit abire. Rati incolæ, ac raræ domus illàc nemus frequentant; nam etſi ſæpè ſpatijs magnis ſecreti nihil habet; ſed aſtus ac Cælo patet, euulſis truncis in vſus tot iam ſæculorum, nihilominus ſterile ſolum, & infelices glebæ carent Cultore, quia cultæ inutiliter, vix Colonum alerent. In Hymmelrodij Cœnobio, Ciſtercienſis Ordinis, hoſpitati nocte huius tertiæ diei ſumus; cuius Eccleſia ſatis nitida eſt, & congruæ longitudinis, ac laxitatis. Cœnæ apparatum riui præterfluentes inſtruxerunt; non enim duratis, & ſalitis; ſed delicatis piſcibus, & recentibus ea redundauit. Etenim hos, & non feras modò, hæ ſyluæ nutriunt, quaſi annonam abſtinentiæ præbeât, & erga Religioſorum ieiunia ſint piæ. Solis dies, altero ſerenior, illuxit, & nos Hymmelrodio maturè abeuntes, in Leſuram Oppidum, ſitum ad Moſellæ ripam, circa meridiem venimus. Tum oculis cœpta eſt obuerſari regio benignior; nempe vineis diuites colles; pomaria, in quibus læta fœcunditas; nec infrequentia, quæ eadem excolut, Oppida & Pagi. Poſt horas cibo, & quieti datas Moſellam traiecimus, amnem aquis manifeſtis, & alueo perſpicuo fluentem. Dum tranſmittuntur equi, & amnem ceteri ex Familia traijciunt, fuere qui memorarent in loco, Auſonij Poetæ de Moſella molliſſimos verſus: cumque theatrum, ac ſcenam vndique, adornarent

Culmina villarum, pendentibus edita ripis,
Et virides Baccho colles, & amœna fluenta
Subterlabentis tacito rumore Mosellæ,

Interloqui,& quasi Eglogâ canere cœperunt, Vnusq; exorsus, ait.

Salue Amnis, laudate agris, laudate colonis:
Amnis odorifero iuga vitea consite Baccho.
Consite gramineas Amnis viridissime ripas
Nauiger, vt pelagus, deuexas pronus in vndas,
Vt fluuius: vitreoq; lacus imitate profundo,
Et riuos trepido potes æquiparare meatu,
Et liquido gelidos fontes præcellere potu.
Omnia solus habes, quæ fons, quæ riuus, & amnis,
Et lacus, & bimo refluus munimine pontus.

Alius, quem claritas riui perspicui delectabat, prosequutus est ijs versibus;

Spectaris vitreo, per leuia terga, profundo,
Secreti nihil amnis habens. Vtq; almus aperto
Panditur intuitu, liquidis obtutibus aer:
Nec placidi prohibent oculos per inania venti.
Sic demersa procul, durante per intima visu,
Cernimus, arcaniq; patet penetrale fluenti.

Erat, qui laudaret piscium in eo copiā, & libertatem,

Intentos, viden? *vsque oculos errore fatigant*
Interludentes examina lubrica pisces.
Sed neque tot species, obliquatosq; natatus,
Quaq; per aduersum succedunt agmina flumen,
Nominaq;, & cunctos numerosæ stirpis alumnos

Edere

Edere fas: haud ille finit, cui cura secundæ
Sortis, & æquorei cessit tutela tridentis.
Tu mihi, fluminei habitatrix Naïs in oris,
Squamigeri gregis ede choros, liquidoq; sub alueo
Differe, cæruleo fluitantes amne, cateruas.

Alter sparsa per ripas oppida, & pagos memorauit;

Addam vrbes, tacito quas subterlaberis alueo,
Mœniaq; antiquis te prospectantia muris;
Addam præsidijs dubiarum condita rerum,
Sed modo securis non castra, sed horrea, Belgis.

Demùm alius neque hoc siluit,

Innumeri quod te, diuersa per ostia, latè
Incurrunt amnes: quamquam differre meatus
Possent: sed celerant in te consumere nomen.

Talia suauissimè commemorando, fluuium conscensis equis deseruimus; ac superauimus iugum præalti, & propinqui montis: atque ingressi viam æquiorem, ire magnis itineribus cœpimus, ne sub dio esse nocte totâ, propter hospitij desiderium, cogeremur. Missi antecursores ad Oppidum Kerprick in Palatinatu, de Legati aduentu, monuerunt Præsidianos milites. Quod facto opus erat; ne tanquam ignotis, difficiles aditus (vti suadet nox, agens nihil verecundè, & omnia dubitanter) nobis ij seruarent. Itaque cum illùc peruenimus, duabus horis ante mediam noctem, statim fuêre in promptu milites intùs dispositi, cum fistulis & fomite accenso. Præfectus verò, cum paucis foras egressus, adgnito, vti fit, nostro comitatu, patere

patere omnia iussit; & Legatum ad suas Ædes, vt in eis hospitaretur, obsequiosè admodum inuitauit. Sciebat, quàm esset ibi diuersorium indecens, quod cæteri ex famuliâ experti sunt. In eo quippe, cœnam parùm felicem excepit quies, quam in stramine plerique, aut super scamna captârunt: & nulli peius dormiuêre, quàm qui in lectis pauculis, plumas somno parum idoneas, vtpote olentes grauiter ac fœdas, occupârunt. Nihilominus manè, vt pretium esset huic sordidæ necessitati, Maritum Hospita, tametsi plus iusto exegerat, obiurgauit indignabunda & clamitans; quoniam adhuc plus multò non exegisset. Erat enim de Caluini grege, & ex odio Cleri ac Sacerdotij, Nos gentem togatam soluere duplum (vt insusurrauit deinde viro) peroptasset: talia oracula hæ Lutheri & Caluini Sybillæ, frequenter in popinis, & ganeis eructant. Nos qui Aurotam, vt nunquam aliàs, votis nocturnis vigiles, aut semisomnes, desideraueramus; vbi primùm illucescere ea cœpit, abitum adornare statim; sed & Templum adire priùs, atque Aris operari, vt restitutâ non ita pridem in Oppido illo Religione, læti nos quoque, tametsi fremeret ob eam rem Hæretici, frueremur. Tantus æstus, & tanta fatigatio, ad noctis præteritæ incommodum accesséte; vt restinguere sitim nulli, tametsi vbetes fontes, in viâ potuerunt. Dum ad vnum hæremus, ex vicina domo Sacerdos & Curio pagi, vinum obtulit Legato, & eius Affeclis. Sed vinum erat, quod ipsemet au-

ſterum eſſe, imò & aceſcere, ingenuè fatebatur. Deprompſit; multi guſtârunt, ſed nemo hauſit; niſi cui ſitis palatum faſcinauerat. Ille tamen excuſauit modeſtè, in penuariolo paupere, non meliores delicias à ſe poſſideri. Quietem differebamus vſque ad nemus, quod non longè aberat, vt defenſi virentibus, explicatiſque, inſtar vmbraculi, ramalibus quercuum vetuſtiſſimarum, aliquantiſper ibi moraremur. Verùm vbi eò ventum eſt, ſtrati omnes, donec vis tantæ laſſitudinis remitteret; teipſa magis ſine Sole, quàm ſine æſtu fuimus. . Nullâ enim aurâ nemus ibi recreabatur: neuè calor, qui erat velut in clauſtro, denſis è frondibus expiraret, ſupernè ſylua prohibebat. Meridies tunc erat, & interuallo itineris trium horarum, adhuc diſtabamus ex Oppido Stronburg; néc enim vſquam alibi eiùs prandij opportunitas, ſperari poterat · eratque vndique ſolitudo, & quædam velut Eremus. Plurimi proinde, vt famem & tempus fallerent, legere atque edere nigra fraga, ſeu moram herbis naſcentia; quorum ibi vbertas magna. Vacinia nigra immeritò, & parùm eruditè nonnulli ea vocant, neſcientes, albis liguſtris cadentibus, hyacinthos, ſeu violas purpureas, ſub eorum vocabulo, in Maronis Eclogis, anteferri. Salubria eſu in Germania cenſentur; & perfuſa vino, reſperſa ſaccaro eduntur; ſanguinemque, vtiliter, vti aiunt, refrigerant. Clam edi nequeunt, quia os purpureum, & nigra labia, factum deinde manifeſtant. Tandem quod ſuperérat

peteret viæ, transegimus; & cùm hospitium in Oppido implerent milites, qui fortè illâc præstereuntes, vino non hilariter, sed periculosè incaluerant; adeò vt metueretur, ne se ad rixas illicò armarent: Prætor loci domi suæ Legatum excepit; & ipse cibum, ipse auenam & fœnum obtulit, ex domestico penu. Cùm verò id gratis agere optaret, hoc admitti non potuit; sed abunde fuit, posse honestis eius ædibus interim, in ea hospitij penuria, frui. Vir erat planè factus ad honesta hæc officia; & natus Dionanti, Vrbe primaria, in Principatu Leodiensi, lares pariter ac mores, animumque liberalem, qualis Leodij viget, vnà secum eò transtulerat. Propè iam erat Binghium, Oppidum, quod in Rheni ripa citeriore, mercimonijs dives ac frequens, subest Decano, & Canonicis Ecclesiæ primariæ Moguntinæ. Eò Legatus vnum præmiserat, qui hospitium idoneum pararet, ita vt posset ibi statim decumbere, cùm vix ferret lassitudinem. Sed is recumit, ad Nauæ Amnis vicinum pontem: ex quo amne Ausonius, Edyllium suum, de Mosella sic auspicatur;

Transieram celerem, nebuloso flumine, Nauam;
Addita miratus veteri noua mœnia vico:
Æquauit Latias vbi quondam Gallia Cannas,
Infletæq; iacent inopes super arua cateruæ.

Ibi nunciauit ille, adesse R. P. Ioannem Reinardum Ziglerum, Societatis IESV Religiosum (qui à sacris confessionibus fuerat superiorum Principum, Ioannis

Swicardi, & Georgij Frederici) ab eoque, retulit, nomine Decani, & totius Collegij Canonicorum ibi Legatum expectari: denique ipsi omnem datam hospitij eo die, & postridie etiã nauigij, prouidentiam. Aduentu viri Amicissimi exhilaratus plurimùm Legatus, Oppidum intrauit: atque cum amplexus, Decani & Canonicorum honorificam illam sollicitudinem de se, deque aduentu suo, quã potuit grati animi significatione, prosequutus est. Vix in cubiculo erat, cùm in eo Binghij Magistratus etiam adfuit, & præsentiam Legati verbis conceptis gratulatus officiosissimè, duodecim magnas lagenas, vini Rhenani præstantissimi, honoris ergo, ei donauit. Munus hoc, cœnæ apparatissimæ lætitiam cumulauit; & vel fatigationem itineris omnem exterlit, vel induxit saltem obliuionem eius. Manè, hoc est pridie Chal. Augusti, circa primam lucem, iussit Legatus equos duos & viginti, cum quibus venerat, Leodium à famulis aliquot reduci; veritus ne oneri nimio forent Moguntiæ; vtpote qui liberalitatem, quam ibi semper magnam expertus est, mallet suspicere, quàm fatigate. Et fuit tamen intuta res, tot nobiles equos, sine vllo militis præsidio redire: præsertim quia triduum erat, cùm ante nos, Mosellam transnauerant prædones viginti, & pagum integrum ibi spoliauerant; adeò vt nequidem Ædiculæ, atque eius supellectili sacræ, impij pepercerint. In quos (dum excurrunt prædabundi) periculum erat, ne si reduces tot equi

forte

fortè inciderent, ita vt erant prorsus incustoditi, fures illos pedites nobilitaret scelus, & statim in equites mutaret. Omine sed bono discessère Binghio, & perueněre Leodium omnes; nos verò eo ipso die, postquam peritatum aris fuerat, nauigia duo sumus ingressi, vt Rheno aduerso Moguntiam ascenderemus. Primum ex eis pictum, ac satis ornatum, cum suspenso vmbraculo decenti, & velis hinc atque hinc præpendentibus, insedit Legatus, & aliquot è Primatis. Ponè, qui erant reliqui ex familiâ, in nauigio altero sequebantur. Æstus fuit eo die tam vehemens, & tam anhelus; cui ferendo, vix in naui vmbraculis instructâ, pares videbamur: vt nemo non summoperè consilium laudauerit, Moguntiam nauigandi quia equo ire, plurimis incommodum, imò & periculosum fuisset. Ripæ Rheni frequentibus Oppidis, & Pagis offerebant se ad amœnitatem, quibus superstant fœcundi colles, ad vites, ad vindemiam nati: Rhenani meri vnde copia, quando annus fauet, vniuersum Septentrionem exhilarat. Hoc enim Belga, hoc Britannus, hoc Danus, hoc Suecus petunt: & vt omnis ea natio se inuitet, ipsis ac Germaniæ perinde, Promus & Cellarius, est Rhenus: vinumque, hoc gratum simul & salubre, debet cuiuis alteri (excepto tamen semper vino Italiæ) præferri. Inter alia Oppida & Pagos, in hoc tractu Rheni, qui Binghio vsque Moguntiam intercedit, monstrari digito solet, Ingelheim, locus, in quo Carolus, re ac cognomento

 Magnus,

Magnus, natus esse perhibetur: sed nihil iam, nisi nominis tanti honorem, ac magnitudinem refert. Dum interim horum aspectu delectamur, appetere prandij hora cœpit; quod in naui vtrâque illicò adpositum fuit. Nihil in eo desiderari potuit; quia nobiscum aderat P. Ioannes Reinardus Ziglerus: cuius prouidentiæ oculus abundè omnia prospexerat; quæ esse vsui, vel commodo, vel delitijs queant; priusquam Binghio solueretur. Tantùm aquæ penuria, in vasto Rheni gurgite, sed frigidæ ac nitidæ, nobis erat. Ideò ad fontes notos appulimus, & gelidam hausimus; vt frigus eius vino, non laticem ipsum, commodaremus. Diuortium enim vini & aquæ, inter nos, ex quo excessimus è finibus Italiæ, perseuerat; nisi tamen acidulæ sint, & ex fonte aliquo salubri. Ex quo genere lagenam habuimus aquæ Andernacensis; quæ infusa vino colorem eius momentò mutat, & quasi feruet intra vitrum, egeritque nubeculam fumi. Quippe magnos spiritus intùs alit, qui hausti, priusquam omninò expirent, voluptati sunt & refrigerio, ac sitim caloremque, vel sensim temperant, vel restinguunt. Erat hic dies natalis Illustrissimi Legati, & simul Diuo IGNATIO Societatis IESV Conditori sacer, cuius in peruigilio pridie Legatus ipse, & primi ex comitatu eius, sibi non sponte magis, quàm piè ieiunij legem imperauerant. Hilaritas honesta idcirco perstrepere, gratulantium ex alterâ naui, cœpit: dum vniuersi propinarent inuicem, & eo ritu sanita-

tem

tem, incolumitatemque prosperrimam, atque annos longæuos Hero certatim apprecari niterentur. Rhenus, & vicini colles videbantur amare mixtam illam obsequij, ac amoris harmoniam; in qua videlicet ita plectrum oris, sonos modulatos formabat, vt eis moderatio ipsa, veluti Præses, mensuram daret. Sic interim immensum æstum eius diei, nec in Germania vsitatum, oborta in loco ea lætitia detersit: & paulatim eò venimus, vt Moguntia iam in conspectu esset. Obuius fuit nauibus in littore, Eques ex Ciuitate missus: sed extemplò reuertit, de Legati certo aduentu ibi nunciaturus. Quocirca vbi enauigauit ad ripam Rheni Legatus, ternis rhedis exceptus est, nomine sacri Senatûs totius, à Decano & duobus Canonicis. Cum quibus ipse, post vsitatas salutationes mutuas, redditaque inuicem officia, in priori vehiculo Moguntiam intrauit, & ad domicilium Patrum Societatis IESV, hospitij causâ, sicuti optauerat, diuertit. Huc pro ipso, & pro eius familia cibi ex Aulâ semper missi; & iussi etiam Nobiles duo adesse perpetuò, mensæ procurationem habere, egressibus eius adhærescere; & quocumque iret, deducere honoris causâ. Quas illi partes expleuêre honestissimè, ita vt officijs suis non necessitatem expectarent, sed desideria fermè anteuerterent. Vsque ad electionis diem, nempe VIII. Idus Augusti: apud Patres Legatus in Collegio egit, & præcipua, quæ disposuit, horum dierum spatio, hæc fuerunt. Preces publicas indictas fuisse, pro electione felici

felici audiuerat à Decano; & alicubi ea continuari etiam Idcirco de his minimè iam sollicitus, primùm egressus est, vt summum Templum adiret; atque ibi, ad Principis Electoris defuncti exuuias, funebre ac piaculare Sactum, pro eius animæ suffragio, ritè celebraret. Alterâ vice, in locum habendi consessus Canonicorum, vt omnes allo queretur, concessit; deductus eò perquam honorificè, ab ipsis Decano & Canonicis: qui pro Templi vestibulo occurrerant aduentanti. Ipse in eo consessu, sub vmbella, seu conopæo sedit, cum assiderent ordine Canonici, tantâ obsequij significatione, vt dicentem semper aperto capite audiuerint; licèt moniti & rogati, vt tegerent se, ipso inmo dicendi, iterum ac sæpius fuissent. Quæ obseruantiæ laus, nescio Sedi Apostolicæ, an ipsis debeat censeri magis honorifica Nam esto, cuius honor magis placeat, mihi certè pietas illa cum primis placet: ex qua nimirum ipsiusmet honoris ille radius pulcherrimus, tanquam ex Sole manat, atque ipsos honorantes simul, feliciter admodum illustrat. Exorsus dicere Legatus, vt Parænesi Latinâ præpararet animos Canonicorum, ad electionem Optimi; doluit initiò vices suas; quoniam iteratis iam itineribus, veniret solummodò ad funera, & ad tenebras Illustrissimi eorum Archiepiscopi Electoris, & Principis: cuius iacturam, parem cæteroqui magnæ complorationi, indicauit posse solatium habere duntaxat; quia mors, quæ amorem omnium ei eripere nequiue-

rat,

rat; vel egregiam opinionem, famamque, vt pote solidiora multò, quàm vt ab eâ concuti possent; quod vnum poterat, spiritum dumtaxat ei eripuerat: qui spiritus nihilominus viuet longissimum iam æuum in Cælo; propter copiam ingentium eius meritorum: & in terris spirabit etiam, propter constantem eorundem recordationem. Proin adiecit, ipsis Canonicis potius mœroris summam superesse: qui orbati Optimo Principe, & Antistite Religiosissimo; nisi hoc haberent, quòd in suam partim multitudinem doloris pondus, & dispertire lacrymas poterant: caussas alioqui adeò multas dolendi, vix vnquam flendo eluere potuissent. Sed quia Georgius Fridericus, dum viueret ac spiraret, suis placidissimis, & commodissimis moribus, atque eâ iucunditate, quam emittebat ex oculis ac vultu toto, serenabat omnes; dixit, videri eum, optare; vt haberetur etiam nunc æquè serenus, & prosper, ideoque persuasit, ipsum eis desiderio quidem, sed non tormento esse velle, & pati etiam, vt damnum sentirent, quale vtique homines e-runt; cupere tamen, vt damnum idem ferrent, quoniam erant viri. Prosecutus est deinde aliquot capita præcipua laudum eius; quantus nimirum in consilijs fuerit, quàm assiduus, constans, & perpetuus in semitâ æquitatis; quo pacto in ætatis, & morborum afflictationibus, animum victorem annorum, atque ægritudinum seruauerit. Quâ pietate erga Deum; erga subditos prouidentiâ, & Patris charitate, erga res

totius Imperij sollicitudine ac fide; gratâ temperie amoris & obsequij, erga Cæsarem; obseruantiâ & veneratione erga Summum Pontificem, ac eius Sanctam Sedem semper fuerit. Et cùm hæc apud aures notas, atque apud eos, qui perspectum diu habuerant pectus eius, nollet fusiùs percensere: vnum præ cunctis memorauit; in quo laudes ipsius simul, & Canonicorum sapiens, seu iudicium, seu beneficium sese pulcherrimè miscuerant: dum nimirùm tantam illi personam, quanta est, inter Sacri Romani Imperij Septemuiros, primum & potissimum gradum obtinere, vnanimi consensu, & suffragatione concordi, olim imposuerant. In ea re, aiebat, gratâ Pontifici, gratâ Cæsari, Electo, & Eligentibus perquam honorificâ, Successorem iam similem expectari. Debere ipsos in Archipræsule magno, & Electore Archicancellario Imperij, summum, & præcipuum Pontifici Maximo, & Imperatori adiumentum præparare. Fore, vt Pontifex solus, & Cæsar item solus, sub onere mundi gemant; nisi adsint, qui eis commodare vicarios humeros; qui incuruari sub mole impositâ possint, factisque id præstare, quod fabulis suis Poetæ, de subeunte Atlantis vices Hercule, sub Cæli graui sarcinâ, prodiderunt. Pontificem in Ecclesia, Cæsarem in Imperio ab eis expectare manum dexteram suam; expectare pectus, & linguam suam. Præfecturam eius in Imperio, extendi per tot spatia Regionum, per quot Imperatoria Majestas, intrà Germaniæ

niæ vastißimos limites explicatur. Præfecturam alteram Nobilißimæ Ecclesiæ Moguntinæ, ac Prouinciæ totius, duodecim insignes Sedes Episcopales, præter ipsam Metropolim, quibusdam quasi magnæ Matris vlnis, amplecti & stringere, in vnum veluti nexum, Ecclesiasticæ charitatis. Plenam verò hanc esse non magis sanctitatis, quàm periculi: cùm enim Episcopi sint Apostolorum successores, & hæredes; ideò non otio resolui eos, non delectari pompis; non obsequi phaleratis honoribus, non malè coloratæ nitorem gloriæ consectari debere. Nempe haud hæc Tabulis suis Testatores, hoc est, Apostolos ijs hæredibus obsignâsse: sed legâsse imò, vt possideant pietatem; vt sint vitâ & moribus integri, sobrij, pudici, modesti, hospitales, & Ecclesiæ suæ benè præpositi. Vt in Episcopi nomine non imperium legant, sed officium: dispensent, non imperent; præsint, vt prosint: demum sibi persuadeant, debere in hac acceptâ ab Apostolis hæreditate, pretiosissimum eorum fundum, Apostolicam esse virtutem. Hæc, & alia Legatus, vbi oratione graui distinxerat, hortatus est, circumspicerent vniuersos; atque hos colores, hæc oris lineamenta sectarentur in eo, quem eligere statuerent. Plures haberi inter eos, fassus est, dignos Infulis, & Cydari sacrâ; dignos Episcopi Cathedrâ, dignos honore supremo: & hanc esse illius sacri Senatûs laudem; vt cùm vnus eligi Antistes ac Princeps debet, multi ad eam personam gerendam, quà natu-

ræ indole, quâ moribus facti, & propè nati esse videantur. Sed enim addidit, virum antea probatum, & non in Principatu ipso probandum, præ cæteris eligi debere. Postremò Sanctissimum D. N. VRBANVM Octavum, affirmavit, indoluisse plurimùm, propter nuperam eorum orbitatem: vti fuit semper animo perstudioso, erga insignem Ecclesiam Moguntinam: iam verò, ex solâ Successoris præstantiâ solatium sperare. Assuevisse, proximè superiori suffragatione, mœrorem suum, hoc solatij genere, mitigare; arbitrari, non fore ipsos à se degeneres; sed & credere imò, futurum, vt quemadmodum aliàs, miro consensu; ita hâc vice concordiâ pari, eligant optimum & præstantissimum. Similia complexus, facultate disserendi, quâ semper eminuit, perorauerat Legatus, & interim, quæ dixerat in Consessu illo, publicus exceperat Scriba. Tum Decanus & Canonici spatium orarunt exeundi, conferendique; quò ijs, quæ proposita fuerant, communiter responderent. Mox redierunt; & tum Prænobilis Dominus Anselmus Casimirus Wambolt, qui Scholasticus & eius sacri Senatûs erat, promptè ac disertè etiam, gratias Summo Pontifici, gratias Legato egit. Plurimi dixit æstimari ab omnibus officia illa Pontificiæ, erga Ecclesiam Moguntinam, charitatis; & in ea solamen adferri suaue admodum suæ ipsorum orbitati. Polliceri eos vicissim Sanctissimo obsequia summa; & conaturos præsertim, vt id suffragatione communi affirmarent, in

Optimi

Optimi electione. Excepit Legatus, semper sibi eam illustrem fuisse opinionem, de animis eorum obsequiosis, erga Sanctam Sedem: & se gaudere, dum iam animaduerteret, tam benè ipsorum suffragia (quæ in eis erat nobilis pietas) præparari. Functus eo munere Legatus, priuatim agere instituit, etiam in alloquijs Canonicorum, quod inchoauerat publicè; nam fermè quotidie aliquos è præcipuis in prandio, & sermone habuit. Semper tamen temperauit; ne quempiam indicaret singulatim; contentus videlicet, si generatim aliquem eximium optaret; & interim æstimaret singulos, sineretque, vt illum Canonici designarent, tempore suo. Venerat Viennâ Cæsaris Orator, Illustrissimus Comes à Schwarzemberg, Eques Velleris Aurei; ac vir, in quo nobilitas & virtus, velut in quodam iungi consortio, pulchrè videbantur. Is Illustrissimum Legatum Pontificium primus inuisit humanissimè, à quo reddita ei dein officiorum vicissitudo, in hospitio, vbi ante electionis diem morabatur. Hic pariter, nomine Cæsareæ Maiestatis, spatium sermoni habuit, in Consessu Canonicorum; & sua legatione functus est. Constans rumor erat, è Canonicis viginti quatuor, quibus ius est, atque honor suffragij (tot enim ij censentur; cùm vniuersi sint quadraginta duo,) ternos haberi præcipuos, in quos posset cadere Principatus. Primus erat, ordine & gradu, Prænobilis Dominus Federicus à Sichingen, Magnus Decanus, cuius compositi mores, modestiæ laus,

laus, eruditio, prouidentia, atque adeò animus Ecclesiasticus, mereri solum Archiepiscopatus Moguntini, ad quod iis gradibus ascenditur, non incongruè videbantur. Alter erat Prænobilis D. Anselmus Casimirus Wambolt Scholasticus: is ad laudes eruditionis, prudentiæ, integritatis, & liberalitatis, dexteritatem addiderat, spectatam sæpius in negotijs publicis, & gratiam simul eloquij, atque facundiæ. Quocircà animumque, & mores Principis iam gerens, non fieri, sed factus pridem, credebatur debere iam solâ suffragatione renunciari. Tertius erat Prænobilis Dominus Io: Reinardus Metternich; & is redierat recens ex Aula Imperatoris: famamque, atque opinionem magnam, ac dotes animi, opinioni & famæ pares, retulerat; etiam ipse in susceptis legationibus frequens, & felix, ideoque dignus pariter Infulis, & Principatu. Porrò illud admiratione fuit, cùm de disponendis, atque ineundis propediem Comitijs, Moguntiæ tum ageretur: pro eo gradu honoris nimirùm conferendo, qui vno minor Cæsare, cæteris maior in Imperio habetur; nihilominus modestè adeò, atque in tranquillo fuisse omnia quasi fileret ambitio, & iam tum designarent vnum omnes; neque suffragijs inter se Canonici discreparent. Rumores imò, qui circumferebantur, & illi ipsi, qui ferebantur in populo liberi sermones, continebant nihil; nisi magnam honestatem: nec audiebatur, se vel sua quemquam, sed conscientiam solam respicere, atque

huic vnicè prærogatiuam suffragij (respectibus priuatis aut victis, aut contemptis & neglectis) vniuersos integram, atque illibatam seruare. Quod cùm iam iteratò Moguntiæ fuerimus demirati: fatendum est, Nobiles animas non aliam ad honores viam sternere sibi, vel alteri solere; quàm illam, quæ priùs eò per virtutem tendat; & velle, huius limen auteà teri; vt qui eligitur, glorietur se intaminatis honoribus fulgere. Pridie quàm electio fieret, hoc est Nonis Augusti (qui dies pro albo lapillo, notabilis erat candore Niuium Virginalium, quæ in Esquilijs Romæ formauerant olim Liberianæ Basilicæ descriptionem) Legatus in principe Ara summæ Ædis perlitauit; & sumpserunt ex eius manu Canonici omnes Sanctissimam Eucharistiam, ad quam initiò aduentus sui eos inuitauerat: id verò egerunt ijs indicijs veræ, ac manifestæ pietatis; vt tessera ea plurimis visa sit, futuræ concordiæ, & vnanimi consensus in electione: nec aliter postridie fuit. Illucescente primùm die, nempe VIII. Idus Augusti, cœpta in vrbe tympana passim audiri, vt militem cierent. Adfuêrunt itaque paulò pòst magno numero, partim hastati, partim iaculatores; vt Templum, & locum habendi Comitia custodirent. Hi pro foribus hinc, atque hinc, serie geminâ dispositi, vsque ad Odæi magni aditum adstabant, vallabantque foris etiam Templi aream. Comitia tum iniuêre Canonici; & secreto consessu, electionem auspicati sunt, post vsitatam Diuini Spi-

ritûs

ritûs implorationem. Interea Orator Cæsaris ad Collegium Societatis IESV venit, & inde Legatus Pontificius, atque ipse, postquam ineundis Comitijs satis temporis fuerat datum, in vna Rbeda summũ Templum adiuêre; perque hastatorum, & iaculatorum custodias ingressi, primis maioris Odæi subsellijs, supra villosi holoserici stratum pannum, & puluinaria, hinc Legatus Pontificius, hinc Orator Cæsaris constiterunt. Mox vbi ritè omnia in Comitijs peracta, Magnus Decanus, secretum electionis vulgaturus, in expectatione summâ nobilium & populi, prodijt è consessu; & Chori claustra ingrediens, primum Legato Apostolico, dein Oratori Cæsareo indicauit, in quem suffragia conspirassent: statimque gradus inscendens, quibus ad Euangelij suggestum, supra eiusdem Chori vestibulum itur, inde è superiori loco inttorsùm Latinè ijs, qui erant intrà Odæi claustra, nunciauit; assumptum, ad Archiepiscopi Moguntini, & Principis Electoris dignitatem, fuisse, viâ Spiritus Sancti, atque omnium calculis, Anselmum Casimirum Wambolt ab Vmbstat. Idé proclamauit etiam, idiomate Germanico, versùs populum, qui erat ingenti numero adfusus, in Templi cæterâ laxitate. Tanta vis meritorum inerat huic nomini, & tam grata Nobilibus, grata populo fama munificentiæ ac liberalitatis, vt vel eius audito sono lætari, ac gestire omnes, faterique cum plausu cœperint; nemini potuisse Principis gradum, & opes obuenire, ac deferri
æ quiùs

æquiùs; quàm illi, qui habuerat semper, etiam dum agetet in te priuatâ, Principis manus: adeò erga pauperes, erga Religiosorũ ordines, erga honestos quosque, largitionibus exercuerat animum accommodatissimum fortunæ magnæ. Quapropter posse merito manus illas, aiebant, quia optimũ visum nouerant auri ac diuitiarum (videlicet nec eas retinendo auarè, ac malignè, nec dissipando effusè & prodigè; sed dispensando largè ac liberaliter) dignas sceptro, dignas supremo regimine, ac diademate censeri. Quod, si minus administrarent ipsæ, Cæsari saltem imponerent: manus prorsus cotonandæ, nisi forent illæ, per quas ipsi debent Cæsares coronari. Dum ita in Templo densè Ciuitas lætatetur, velut ex lætitiâ, quam non caperet locus ipse Comitiorum, patefactæ sunt fores eius; & tum ostendit se nouus Archiepiscopus, & Princeps Elector. Quòd si omnium suffragijs intus; foris omnium votis, atque admurmuratione fecundissimâ sensit, adhuc se certatim eligi, & in principatu oculis ipsis gestientis populi confirmari. Egredientem præiuit Comitum, Nobilium, & totius Aulæ ingens, ac honorifica multitudo. Medius ipse, inter potiores Canonicos, vix introierat Chorum, cùm à lumine Illustrissimum Legatum Pontificium, & dein Illustrissimum Oratorem Cæsareum, tacitè soloque vultûs obsequio, salutauit. Nam ad Altare summum ducebatur, quod & mox insedit, circumstante cœtu Canonicorum; dum interim sacer Hymnus modu-

latis vocibus, mixtoque tibiarum, & fidium numerosarum sono, cantaretur. Accessêre singuli Canonicorum, ordine suo; eique, vti nouo Principi ac Præsuli, honorem submissionemque ritè, simul venerabundi, simul lętabundi, detulêre. Post Hymnum, & obsequia, ex Altari reuertens, iam gradus descenderat; cùm ei occurrit Legatus Pontificius, & electionem tam felicem Latinè, ob illustres virtutes ac merita eius, gratulatus initiò; dixit etiã, pulchrè videri, diem ipsum congruere tantę fęlicitati. Nam cùm esset anniuersarius dies Christi Domini, illustrati lucis admiculo, in Monte Thabor, etiam ille appareret, amictus gloriâ noui Principatûs: non sine spe & omine, fore, vt subditi deberent vsurpare lętissimas voces illas, Bonum est nos hîc esse, felix faustumque, à tam insigni Principe gubernari? Adiecit, eo item die, ante annos sex, Romæ VRBANVM Octauum inauguratum fuisse Pontificem Maximum: & ex eo argumento posse omninò credi, vt quos electionis dies aliquo modo coniunxerat; coniungeret eos pariter mutua lex, & vicissitudo, in altero obsequij, in altero dilectionis. Quoniam verò eodem die, atque anno in Germaniã, exercitus fœderis Catholici, victoriam sanè insignem, ac maximè lętam, ex Hęresum ac Seditionum acie reportauerat, conclusit, sibi esse persuasionem etiam; fore, vt qui primus Principum Confœderatorum renunciatus eo die fuerat, deberet bellum iustissimum tamdiù prosequi; donec debellato im-

pio

pio demùm hoste Imperij, Religionis, ac Dei, sub ipso adhuc Principe, tandem de eo Germania, imò Ecclesia vniuersa, referret vltimos triumphos. Omina gratulationis tam benè auguratæ, suscepit vultu hilari ac modesto Princeps, egitque grates, ac promisit; se conaturum, vt subditis à se benè esset; Summo Pontifici obsequiosè; Catholicæ Confœderationi prouidè, constanterque. Accessit deinde Cæsareus Orator, ac idiomate Germanico ei perinde gratulatus est: Cuius & Principis in eo sermone florentissimam dictionem, si tam interpres calamus referret; necesse esset, disertissimè loqueretur. Certè Princeps ipse adeò in hoc dicendi genere habetur eximius, vt ante Principatum etiam, quando adulatio nondum poterat iure metui, soleret passim Cicero Germanus nuncupari. Exin præcessêre Legatus Pontificis, atque Orator Cæsaris; & in Rhedâ priori ille primam sedem, hic alteram occupauit. Princeps cum Decano, Custode, & Cantore Rhedam secundam; & Canonici deinceps alij cæteras insederunt, ita vt erant omnes linteati, perque Vrbis penè triumphantis plateas, inter dispositos hinc, atque hinc perpetuos iaculatores, canentibus tubis, tympanisque adstrepentibus (cùm primas geminas Rhedas, pedestri agmine, antecederent Comites, & Nobiles totius Prouinciæ, atque insuper Aulici, tum vtriusque Legati, tum Principis) ad Arcem seu Palatium, situm in extremâ Vrbis parte, hoc ordine itum fuit. Vbi eò ventum est, clausa do-

mus, & suspensi pontes, super fossæ circumductæ ve- beres aquas, erant. Miles omnia custodiebat, onera- tis etiam tormentis maioribus; sed ad plausum tamē, non ad stragem. Magnus Decanus ad portam acces- sit, compellauitq; Præfectum Palatio, qui statim ad- fuit, & Decanum, recluso dumtaxat ostiolo, admisit. Monuit ille, Nouo Principi reserare Arcem; eum verò, indicauit, esse Anselmum Casimirum Wam- bolt, electum ab omnibus, suffragatione perlatâ. Alter documentum scriptum de ea re perrogauit, vi- dit, legit, aperuit; Principi verò intranti se, & fidem suam, vnaq; Arcem tradidit quàm demississimè. Tū verò ab omni parte, militarium tonitruorum igneæ voces consonare, atque omnia implere plausu, ex- primereque gaudium illud, quo intrà pectus quisque suum incalescere peræque, & à machinis illis tantùm strepitu superari, certabatur. Princeps, statim atque intra Ædes ipsas fuit, nihil prius aut potius habuit, quàm vt Legatum Apostolicum, ad præparatam ei habitationem, hoc est illam eandem, quæ est ipsius- met Imperatoris, deduceret. Atque hic, ab electionis die, Legatus semper mansit, quemadmodum & Ora- tor Cæsaris, in parte alterâ Ædium moratus est. Id obsequij autem semper Princeps exhibuit Legato Pontificio: quoties enim descendere inde, vel eò re- dire opus habuit, siue vt in Sacro, siue vt in mensa; siue vt in alloquijs ambo vnà essent; cum toto Comitum & Nobilium cœtu toties, per gradus

satis

satis multos, ad eius conclauia, venit; vt honoris ergo adesset egressibus eius, atque in itu eum, & reditu comitaretur. Tanta fuit semper apud eum Sanctæ Sedis, & Muneris Apostolici dignatio. Paulò post ad Conuiuium, quod instructissimum cibis, & omni pompâ Regij Triclinij erat, conuenêre. Et quidem in summo loco Legatus Pontificius à dextris, & à sinistris Cæsareus Orator consederunt. Ponè Legatum, in latere mensæ proximo, primus assedit Princeps, è regione eius, in altero latere, Magnus Decanus, deinceps Canonici, Comites, primariique Nobiles promiscuè; deuocati priùs omnes ordine, à Præfecto mensæ; postquam ambo Legati, & Princeps assederant; quibus solis poluûbro aureo, & gutto simili aquam, proluendis manibus, Comites primarij dederant. Deinde in varias mensas distributi alij, quotquot aderant equestris ordinis, & Asseclæ Legatorum; materiam lætitiæ adgerere vsque; inuitando se liberaliùs, cœperunt. In principe mensâ tamen, in qua nemo nisi aperto capite, infra Legatos ambos, & ipsum Electorem, aderat; sanitatem Summi Pontificis VRBANI Octaui stantes, ritu solemni, & deinde FERDINANDI II Inuicti Cæsaris, ac semper Augusti, biberunt, inuitante ipso Electore. Sequuta sunt postmodùm similia vota bibentium, pro vtriusque Legati, & pro Electi Principis incolumitate. Mirum verò illud fuit, ipsum Comitem Hannouensem, atque alios Conuiuas, qui assedebant, Caluinianæ & Luthe-

ranæ fectæ, propinasse inuicem, pro Romani Pontificis, ac eius Legati vitâ, & prosperitate; atque ijs acclamâsse pariter, nullo vultus, aut vocis discrimine. Quippe ingenua mens & nobilitas, non stolidas opiniones admittit, quibus Lutheri, & Caluini rabulæ opplent aures vulgi, & persuadent, fetalia eos esse, atque abominanda nomina: cum nimirùm apud alios honestos, vel tantùm non insanos homines, sint plena sanctitatis, & venerationis. Primus & alter missus, & bellaria, longo pòst interuallo, mensæ adposita, Conuiuas peræque tum esu, tum sessione fatigârant; nec enim, nisi cum iam tempus cœnæ appeteret, prandio finis fuit. Retulerunt se ideò, in Conclaua sua, Legati & Princeps, sed cæteri Nobiles in eâdem Aulâ, circulari stantes, & propinare denuò, ac si eò ficci omnes, & vacui aduenissent. Nec cœnæ tamen, eo die, vel noctè dixerim verius, obrepere potuit obliuio: actum de eâ statim fuit, ac serio instauratæ mensæ, ne dies tantæ lætitiæ, si abiret omnes incœnati, omen fortè habere crederetur. Sedentem Legati, & Princeps, reuerti ad mensam, recusârunt. Fama fuit, ex Cellæ Moguntinæ conditorijs prompta eo die, & hausta vini vasa maiora, seu plaustra octo; præter Ceruisiæ mensuras; quas otium non fuit curiosiùs numerare. Multitudo ingens eorum, qui se inuitarunt, & inchoata ob Principem egregium iustissima gratulatio, suadebit facilè; vel hoc fine excessu potuisse fieri, vel debuisse excessum eiusmodi, si potuit vllus

vnquam

vnquam alius, finitimum innocentiæ credi, ac tantummodò, vn lætiam aliquo modo redundantem, excusari. Postridie electionis, Legatus omnia postputauit, vni occupationi, quæ iam illi maxima supererat: vt formaret nimirum processus Archiepiscopi Electi, iuxta GREGORII XIV. & VRBANI VIII. Summorum Pontificum Diplomata. Quocirca delectu habito Testium idoneorũ, rogare singillatim vnumquemque priuato congressu cœpit, quæcumque in rem fore opinabatur. Quidquid autem singuli proferent, Scriba publicus id in Commentarios referebat; atque erant hæc de Principis Electi natalibus; de indole & educatione; ac de moribus non magis nobilibus, quàm Catholicis; de studiorum conditione, atque eruditionis Ecclesiasticæ notâ, de sinceritate ipsius Electionis, obstrictæ ab ipso pro republica, pro S.R.Imperio, & pro Moguntinâ Ecclesiâ muniis. Cuius Ecclesiæ deinde status perquam, describitque, quoad molem, quoad numerum, quà principalium Canonicorum, quà minoris Cleri, quoad Sanctorum Reliquias, priuilegia, atque ornamenta; Seminaria & loca pia debuit. Atque hæc postrema, quæ publica sunt, & extra metum adulationis, aut secreti damnum, queunt referri; libet iam indicare paucis. Quæ enim ad Electum attinent, digna omnia Viro Principe inuenta sunt; sed in vulgus ea manare, vel si nota sint Scriptori, non debent. Vetusta & ampla structura Ecclesiæ Moguntinæ, venerationis multùm præsefert;

atque

atque Antistite gloriatur, qui inter Septemuiros Imperij primus, ac pro Germaniâ supremus Archicancellarius, Comitia eiusdem Imperij publica indicit: atque ita cum Collegis Cæsarem eligit, vt eum solus Imperij diademate coronet. Ipse verò, quoad Ecclesiæ honorem, duodenos Antistites nobilium Ecclesiarum, tanquam Metropolita Suffraganeos, & quidem omnes Sacri Romani Imperij Principes, recenset. Hi sunt, Episcopus Wormatiensis, Episcopus Herbipolensis, qui Dux est Franciæ Orientalis; Episcopus Spirensis, qui est Iudex supremus magni Tribunalis Imperij, quod Spiræ sedem & forum habet; Episcopus Eistatensis, Episcopus Argentinensis, Episcopus Verdensis; Episcopus Curiensis apud Rhætos, Episcopus Hildesheimensis, Episcopus Paderbornensis, Episcopus Constantiensis, Episcopus Halberstadiensis, & Episcopus Augustanus. Habet insuper in suomet Collegio Moguntino, quatuor veluti capita Canonicorum, & ij primas inter eos dignitates ita obtinent, vt cydari sacrâ seu mitrâ gemmatâ inornati, Archiepiscopo assideant; quando ipse habitu pomparum Aris operatur. Diues in eâ est sacrarum Reliquiarum thesaurus, quæ in thecis aureis, argenteisque, antiqui & artificiosi operis attinentur. Ornamenta Sacerdotum, & Altarium planè opulenta sunt; auroque, gemmis, & præsertim vnionibus, ita onerantur simul ornanturque; vt multitudo in eis, an varietas, an dispositio superet, non facilè sit definire.

Præ

Præ cunctis, summæ est admirationi vmbella maior, cum appendicibus præpendentibus, sub quá excipitur Moguntiæ Imperator. Flores enim in ea, & ornatus omnis, ac nomen IESV in medio, cum circumfusis in gyrum radijs, nihil sunt aliud, quàm intextæ ijs formis margaritæ; singulæ læuore, candore, orbe, ac magnitudine insignes: & quarum pretiosa congeries sola Indicum Oceanum quodammodò depauperârit. Huius supellectilis sacræ ornamenta potissima Albertus Brandeburgicus, Archiepiscopus Moguntinus, & S. R. E. Cardinalis, munificentiâ summâ comparauit; & grande posteris exemplum liberalitatis Ecclesiasticæ reliquit. Intrâ quatriduum Legatus omnia, in Commentarios ritè formatos, iam retulerat; & tum (quod vnicè restabat,) à Principe ipso Electo, in genua procumbente, suscepit Catholicæ fidei professionem, intrà propria conclauia: nec vlli interfuere arbitri; nisi Io: Baptista de Ninis, Protonotarius Apostolicus, & Legati Auditor Generalis; vnaque P. Io: Reinardus Ziglerus Societatis IESV, qui Principi Electo est à sacris confessionibus. Aduenerat redux Stadâ, Viennâ, & Ingolstadio, functus occupationibus, & negotijs, quæ pro voto Illustrissimi, atque Excellentissimi Comitis Tyllij susceperat, Dominus Adrianus Florentinus, Canonicus Ecclesiæ Primariæ Leodiēsis; & occurrerat fortè R.P. Ægidio Bucherio Rectori Leodiensis Collegij Societatis IESV; dum is Frācofurto reuertens, in portu Mœni, nauem

F intra-

intraret. Vt autem inexpectatus inopinanti Amicus Amico adfuit; plus gaudij improuisus ille aduentus, in quem vtique animos neuter præmiserat, cumulauit. Legatus verò gauisus conspectu Viri gratissimi, & cuius prudentiâ, atq; ingenio suaui, eruditoq; semper fuerat delectatus, voluit penes se, Moguntiæ in Electoris Aulâ, expectaret, propediem vnà reuersurus. Deliberatâ profectione, prò III. Idus Augusti; Legatus pridie quàm abiret, quia festus dies S. Laurentij Martyris erat, Missæ sacrificium publicè, in Palatij proximo sacello celebrauit; deductus eò ab Electore ipso: qui cum vniuerso Aulæ Comitatu, Rei Diuinæ interfuit: musicisq; modis, ac numeris Symphoniacis, interim omnia suauissimè consonabant. Sed priùs, quàm abiretur, vna illa cogitatio subijt animum Legati, quòd nimirùm, cùm vacaret etiam Sedes Wormatiensis, cuius perinde Antistes fuerat defunctus Archiepiscopus Moguntinus, & cùm ad Successoris electionem fuissent indicta Comitia, pro XIII. Calend. Septembris; abesse tam longo interuallo, & opperiri eum diem ægrè Legatus poterat. Quocirca, ne oneri foret Ecclesiæ aut Moguntiuæ, aut Wormatiensi, mansione suâ tam diuturnâ, consilium de reditu potiùs iniuit: postquam datis iterum ac tertiò epistolis adhortatorijs, ad Canonicos Wormatię, quantùm absens poterat, conatus fuerat negotium electionis ordinare. Neque ad id parùm momenti attulit, in Sacro Senatu Moguntino repertos esse geminos,

minos, eosque præcipuos, de quorum alterutro eligendo, credebatur agi debere; quia simul Wormatiæ Canonici erant. Cum ijs enim Legatus aliquoties, & præterea cum Scholastico Wormatiensi, qui Moguntiam fortè sub eos dies venerat; atque adeò cum altero Canonico, quem Decanus & Canonici, litteris instructum, Wormatiâ Moguntiam idcircò miserant, seriò sermonem habuit: quæque in rem forent Ecclesiæ Wormatiensis, cui vicina Hæresis superiori sæculo, tot damna & tam grauia intulerat, suadere omni ope conatus est. Neque id sanè frustra, vti dein electionis exitus, fatis & ipse felix, comprobauit. Sed longè plures, cum Electo Moguntino Principe, eosque priuatos & amicos congressus, Legatus quatriduo illo exegerat. Susceperat enim quædam, in eius gratiam & commodum, tractanda Romæ cum Summo Pontifice. Aliqua etiam, sponte suâ, commendauerat, quæ pro Ecclesiæ Moguntinæ statu feliciore, nouo Principi cordi esse plurimùm intererat. Ex ijs præcipua fuerunt, vt quæ obseruantiæ studia Romæ, erga Summum Pontificem, atque erga eius Sanctam Sedem, cum ipsâ educatione in litteris, ac moribus Ecclesiasticis, olim hauserat, dum in Collegio Pontificio inclytæ Nationis Germanorum educaretur; eadem foueret iam impensiùs in illo, in quo erat, Ecclesiæ Principatu. Id verò tum ad occasiones alias omnes profiteretur, quæ in dies obuenirent, tum verò statis temporibus, eundo vel mittendo ad sacra

Limina, iuxta priscum morem, & tot iam sæculis consecratum, hac etiam obsequij testificatione publicâ confirmaret. Ad hæc, vt viros gnaros Ecclesiasticæ rei, & vel Sacræ Theologiæ, vel Iuris Pontificij peritos, deligeret, ex eisque veluti distinctum Senatum, seu Curiam institueret, ad Ecclesiæ Moguntinæ negotia moderanda, regendaque: ne Laici, quos à Consilijs habet pro Moguntiæ principatu, sacra & immunia procurent. Præterea, vt Alumnos plures, in Seminario Episcopali educet, in spem Cleri numerosioris: tametsi enim, quos Legatus in eo viderat sustentari, viceni essent (inuiserat quippe ipsorum domicilium, atque ab altero eorum, sicut etiam à geminis Nobilibus Conuictoribus, qui ambo Filij erant Magni Prætoris Leodiensis, fuerat Latinè salutatus) nihilominùs vasta Regio Archidiœceseos Moguntinæ, ad regimen sui operarios plures desiderabat. Hæc aliaque vbi proposuerat, commendaueratque: cum nihil iam superesset, eidem Principi valedicens, atque adeò grates referens, propter significationem perpetuam amoris, & liberalitatis, cum obsequij etiam assiduitate, in omni congressu, vel egressu eius: deductus extra portæ ac domûs extremos gradus, & vsque ad Rhedam ab ipso Principe fuit. Hic ambo vltimis salutationibus, & votis se mutuò prosequuti sunt: & Legatus in curru, dum staret adhuc ad obsequia Princeps, adiuit Rheni proximam ripam. Ibi naues geminæ, instructæ omni opportunitate, & apparatu etiã

rei

rei cibariæ, nos opperiebantur, in quas Legatus cum familiâ introiuit; & postquam Prænobili Domino Ioanni Reinardo Metternich Canonico Primario, qui in Rhedâ eò vsque simul, obseruantiæ ergo, venerat, Aulicisque alijs; & cumprimis P. Io: Reinardo Ziglero omnium amicissimo, precatus esset sanitatem diuturnam, atque omnia felicia; soluere nautas, & dare se amnis alueo secundo iussit. Sic Mœni, sic Moguntiæ, & Castelli eius, ex quo vetus Drusi moles adhuc prominet, sensim nobis prospectus eripi cœptus est, dum Rhenus interim Binghium, lapsu tranquillissimo, nos reueheret. Aderat in Legati nauigio Nobilis vir Præfectus Rinchauiæ, cui Moguntinus Elector mandauerat, curaret, vt splendide Legatus tractaretur Binghij. Magistratus hic iterum vini donarium obtulit: & nos vesperi prælautè habiti sumus, ac postridie, omni apparatu prandij etiam, liberalissime nauem Rinchauiæ Præfectus impleuit. Confluentiam appulit hoc altero die Legatus; & rectâ diuertens ad Collegium Societatis IESV, Antonium Abundantium, qui est ei à Secretis, misit ad Archiepiscopum, & Electorem Treuirensem: rogauitque tempus, & commodiores aditus, quò illum officij causâ inuiseret. Obstupuit verò Elector, se penitùs inscio, potuisse Legatum appellere eò, atque intrare Ciuitatem. Dein excusato, quòd proinde non occurrisset aduentanti: se mox in Collegio ei adfuturum, respondit. Venit itaque cum Aulæ suæ Assectis

repentè, gratulatusque aduentum; ad Palatium inde, Legatum in Rhedâ statim abduxit, cœnâque & hospitio magnificè, ac lautè habuit. Abeuntem postridiè, ad nauem vsque, extra vrbem perduxit, querens amicè, tam grati se Hospitis præsentiâ momentò priuari. Vix exprimi satis potest, quanta sit in eo laus prudentię simul, & obseruantiæ erga Sedem Apostolicam: cuius vtriusque significatione plurimâ, in congressibus alijs cum Legato vsus, semet semper, laudemque istam suam gloriosè superauit: neque hac vice insuper abire ipsum, absque dono vini honorarij, permisit, antemissis quoq; ad nauem, pro eius diei prandio, cibis. Postquam hîc valedixere mutuò; Rheno redditi nos ibi fuimus, vbi Mosella in eum se placidissimè infundit. Et tum redijt quoque Ausonij, eiusque grati Poëmatis recordatio; dum R.P. Bucherius repeteret, vti inchoauerat antea, quæ circa hos confluentes Amnes, Ille aliquando cecinerat;

Dicamus læto, per rura virentia, tractu
Felicem fluuium, Rhenoq; sacremus in vndis.
Cæruleos nunc Rhene sinus, hyaloq; virentem
Pande peplum, spatiumq; noui metare fluenti,
Fraternis cumulandus aquis *
* *Vos pergite iuncti,*
Et mare purpureum gemino propellite tractu.
Inuidiæ nil Hospes habet: potiere perenni
Nomine, Tu Fratrem, famæ securus, adopta.

Exin progressi, lapsu admodùm leni, Pontis Mosellæ pulcher-

pulcherrimi, & Confluentinæ Arcis ſpectaculo paulatim priuati ſumus, ſicut & magnificæ alterius Molis, quam in littore Rheni Elector Treuirenſis, tum ad gloriam ſplendidæ habitationis, tum ad munimentum loci, & cuſtodiam vtriuſque Amnis, recens excitauit. Prætematigantes omnia hæc, deinceps Oppidis frequentibus, vineiſque, & amœnis collibus denuò frui cœpimus: nec deerant, qui memorarent, ac diſtinguerent vini præſtantiora nomina, quæ in eis Oppidis, quinqueis præteruectis tractum illum Rheni, ſæpe aliàs guſtaueramus. Sed lugubre aliquid obuerſabatur identidem, in ſcenâ tam hilari; dum nigri ſtipites, arborum infelicium & ſemiuſtulatarum, incurrebant in oculos; quibus obligatæ veneficæ plurimæ, non ita multò antè, conflagrauerant. Hoc iam vino teterrimo, tanquam fœdâ hæreſum appendice, paſſim Germania miſerè polluitur. Andernacum appulimus, non vini deſiderio; ſed aquæ ſalubertimæ; cuius ibi fontes, & ſcaturigines gratâ fluunt perennitate. Vaſcula eius aliqua in nauim importauimus; ſoluenteſque illicò, ſub veſperam Bonnæ fuimus. Inde Sereniſſimus Colonienſis Elector aberat, profectus non ita pridem in Weſtphaliam. Demùm poſtero die circa meridiem, ipſo peruigilio D. Virginis in Cœlum Aſſumptæ, Coloniam, hoc eſt ad Legationis primam & antiquam Sedem, læti petiuimus: ibique Rhedæ geminæ Legatum ex nauigio excepêre. Ad Cœnobium Ordinis S. Dominici, vbi

R P.

R. P. Thomas Sergnfius Florentinus, & S. Theologiæ primarius Professor, hospitium parauerat, diuertentes prandium non diu expectauimus; nam hoc præmisli antecursores primo diluculo, cibis coemptis, parauerant. Consules, & Senatus Coloniensis donum vini Senatorij, quod vocant, confestim Legato miserunt, & gratulati quidem sunt aduentum, sed questi etiam, tot iam annorum absentiam, dum Leodium ita coleret; quasi præ Coloniâ Agrippinensi & Rheno, Mosa & Leodium ei augustiorem appellationem darent. Similes priuatim, quà Illustrium Canonicorum, quà honestissimorum Ciuium querimoniæ restingui debuerût, professione amoris, quem locorum distantia, ac longinquitas probat; eximitq; à conditione infirmi sensûs; cui nimirum res obiectas, quamlibet gratas, absentia statim adimit. Leodium coli, quoniam ratio negotiorum ita ferret; cæterùm Coloniam à se in animis, atque intra cor, si minùs in oculis, haberi. Interea, priusquam appeteret nox, Legatus desiderio videndi Basilicam Molem, propinqui Templi Societatis IESV, quod liberalitate Serenissimi Electoris, ac Ducis Bauariæ Maximiliani excitatum, hoc anno primùm cœptum est pandi vsibus sacris, illò contulit se; ac repent verè augustum, plenumq, gloriæ opus. Foris propylæum excelsum, significat etiam auctum, explicatur magnificè; ac promittit eam, quàm intus oculis offert deinde, structuræ Regiæ Majestatem. Aspectum fatigat simul,

&

& delectat sublimis, & elegans intùs concameratio; quam ita arcus & columnæ sustentant, vt in medio spatio etiam choros pensiles in gyrum fulciant. His verò, quasi podijs circumductis, diceres laxitatem Ædis totius pulchrè coronari, crescetque ornatus, cùm signa in eis disponêtur, & cùm ibi plurima, sicuti iam sunt in fornice, erunt aurolita. Locus Principis Aræ introrsum recedit, mirâ artis & operis dignitate. Nihil illo est serenius, tantum vndique haurit lucis: nihil illo est speciosius; tantum pulchritudinis aureæ, atque amœnæ præsefert contextus in eo trium ingentium picturarum: ijs margines è ligno inaurato, flores, columnæ, loculamenta, cum statuis prægrandibus, artificio summo circumfusa, tantùm ornamêti conferunt, quantum exprimeret sola, si loqui posset, admiratio. Nihil illo demum erit sanctius, quando ad parietes in gyrum addita erunt conditoria aurea sacratum Reliquiarû, opere adsimili elaborata; quorum vel initia suspicere debuimus. Præter hoc Altare maius, quod ita magnificè ornauit Serenissimus Ferdinandus Archiepiscopus & Elector Coloniensis, quatuor aliæ sunt Aræ minores; eo singulæ ornatu, quo illustrare Templa totidem possent. Quoniam verò Templum hoc proximis Virginalibus, Deiparę in Cælum Assumptæ, dicatum erat, feliciter euenisse sunt rati Patres Societatis IESV; vt primâ tum vice, quando eius festus dies deberet celebrari, Legatus Apostolicus adesset. Proinde rogârunt, postridie illuc

horis antemeridianis rediret; & in Arâ tam illustri, Deo, Antistes Magnus, perlitaret, quod factum est in populi frequentissima panegyri. Altero die, Colonia (etsi ęgrè, ac serò, propter difficultatem summam, quam experti sumus, in equis necessario numero cōducendis) recessimus, nec progredi, nisi ad leucas duas potuimus: excepti satis humaniter in Cœnobio Brauuilerensi, Ordinis S. Benedicti. Posterâ luce, declinantes Iuliacense nemus, ac loca crebris recentibusque latrocinijs famosa, in quibus adiri certa discrimina, viatores plurimi nunciauerant, Heinsbergam venimus. Oppidum id est Serenissimi Ducis Neoburgici, Iuliaco propinquum: vbi Parthenium Sodalitium Sacrarum Virginum Nobilium, Ordinis S. Norberti, acceptis litteris Pontificijs ab VRBANO Octauo Pontifice Maximo, debuit Legatus visitare. Antistita ibi est; quæ deuoti sexûs laudes ita omnes promeretur, vt prudentiâ, eruditione, Latinæque linguæ vsu sexum etiam antecedat. Abbas Kneckstedensis, qui Cœnobio præest, audito Legati aduentu, biduo post aduênit, & omnia, quæ pro loci sanctiori disciplina constituit Legatus, non probauit modò, sed interpretatus est quoque in conuentu sanctimonialium; quando ea Scriba publicus ritè promulgauit. Perfunctus hac Legatus Visitatione, Traiectum ad Mosam profectus est, ternis vehiculis; vnde naui Leodium erat, amne placido & leniter aduerso, reditutus. Familiâ in diuersorium dimissâ, mansit ipse,

cum

cum aliquot è præcipuis, in Collegio Patrum Societatis IESV; ad quod sæpenumerò altàs inuitatus obsequiose fuerat. Præfectus Vrbi, Comes De Launoy clarus gloriâ militari, aduentantem eum in Collegio expectauerat, ibiq; post honoris significationes mutuas, in colloquio diù, ac dein in cœnâ etiam adfuit; tametsi valetudine non adeò prosperâ id temporis vteretur. Quin immò, insuper hoc obseruantiæ adiecit; vt à Prombuno iussent Legatum adiri, rogarique tesseram; quæ, vti fit, militibus per excubias eâ nocte signum iret. Tandem XI. Calendas Septembris, Traiecto soluimus, & aurâ secundâ Leodium reuertimus: vbi Legato, qui ex naui exscenderat, priusquam Vrbs intraretur; præter propriam Rhedam, cum vehiculis alijs obuiam venêre gratulabundi, Christophorus à Blocquerie, Archidiaconus & Cancellarius Serenissimi Principis Leod., Petrus Rosen, & Gaspar à Rupe, omnes tres Canonici Ecclesiæ primariæ, & plures amici honestissimæ conditionis. Gloriæ verò imprimis fuit, Electoris Moguntini Viri merentissimi Electio tam felix; quæ etiam ex eo capite dein Romæ plausum habuit, quod is Alumnus aliquando Romæ fuerit, in Collegio Pontificio Iuuenum Germanorum: ex quo Collegio, Electus recèns Anselmus Casimirus, atque Antecessores eius proximi, Georgius Fredericus, ac Ioannes Swicardus, gubernaculis Moguntinæ Ecclesiæ, ac eius principatûs, ordine præfuerunt. Non ita multò pôst, vt accessio magna huic læ-

titiæ

titiæ iustissimè fieret; per litteras Legatus cognouit, Wormatiæ item Electum Episcopum, & S. Imperij Principem, Georgium Antonium Roteftein, Virum, quem fama illustrium meritorum, iam tum elegerat, cùm vnà Moguntiæ aderat, Canonicus ibidé in Ecclesiâ supremâ. Certè in ijs geminis ad Principatum Electis, anticipâsse famam Electorum suffragia, fatendum videtur. Cuius rei argumento sit, quòd triduò, ante Moguntina Comitia, cùm hi ambo, Anselmus Casimirus Wambolt, & Georgius Antonius Rotestein, Legati prandio interfuissent, & sublatis mensis, causâ familiaris colloquij, cum eo in Bibliothecam Collegij secessissent: R. P. Io: Reinardus Ziglerus asfirmârit, ternos in eâ Bibliothecâ tunc Episcopos versari: nempe Illustrissimum Petrum Aloysium Carafam, Episcopum Tricaricensem; Anselmum Casimirum Wambolt, Archiepiscopum Moguntinum, & Georgium Antonium Rotestein, Episcopum Wormatiensem. Coniectura hæc fuit; ex notâ & diu inspectâ in vtroque præstantiâ meritorum; sed quam potuisset tamen euentus in vaticinium vertere; nisi pulchriùs & gloriosiùs illis foret, dignitatem ipsos etiam tùm clarè meruisse; quàm potuisse de eâdem, ipsis conferenda, obscurè alios vaticinari.

Quod Iter Illustrissimi & Reuerendissimi Domini, D. PETRI ALOYSII CARAFAE, elegantissimo delineatum stylo, per D. Cælium Seruiltum, nihil fidei, ac bonis moribus contrarium contineat, prælo dandum censeo. Datum 8. Nouemb. 1629.

IOAN. A CHOKIER *Vicarius Leod.*

